



Zdigitalizowano w ramach projektu „OCHRONA I KONSERWACJA CIESZYŃSKIEGO DZIEDZICTWA PIŚMIENNICZEGO”



2007-2010

Wsparcie udzielone przez
Islandię, Liechtenstein oraz Norwegię
poprzez dofinansowanie
ze środków Mechanizmu Finansowego
Europejskiego Obszaru Gospodarczego



Zrealizowano
ze środków
Ministra Kultury
i Dziedzictwa
Narodowego

Sermo.

DD. IX. 17. 23

In prelectione Classium.

De Praestantia studiorum humaniorum.

Cum et lege sancitum est, Auditores spectatissimi, Comititonesque humanissimi! et a maioribus nostris id consuetudinis receptum, eam, quam hodie celebramus, festivitatem, solenni quadam oratione inchoari; ea visa est accomodatissima, qua acrius juvenili nostro pectore, ad humaniorum litterarum studium, calcar admoveretur. Quorum studio cum antea sua sponte animus noster flagravisset, nunc profecto his novis alimentis, subjectis, multo magis erit inflammatus.

Sed enim fuisse, eosque ex numero imprimis eorum, qui propter illarum litterarum ignorantiam, iuste reprehendi timerent, et propterea adversus eas se superbia munire, et contentu armare salubre censebant, dicentes: illas verbis nimis persequendis, res ipsas quarum causa verba discuntur, relinquere; humaniorum litterarum scientiam solum in eo consistere, ut, quae verba, quae formula loquendi bonae notae essent, teneantur, quae minus in dicendo, scribendoque, fugiantur; atque juvenes de veteribus fabulis et ritibus Romanis posset quaedam deferere. Major, crede mihi, hic fundus est. Latius regnat humanitatis disciplina, multoque est, quam illi opinantur, et rerum magnitudine amplior, et utilitate uberior.

¶ Nam ea veros illos et puros omnis eloquentiae, poeseos
historiaeque fontes interpretando aperit, a corrupte-
larum sordibus purgat, ac denique rerum pulchre-
rum quorum quendam affert et intelligentiam.
Haec docet, quid ii, quos omnis aetas sapientissimos iu-
dicavit, de rebus divinis et humanis praeceperint; haec
res pace, bellogue a summis hominibus gestas tradit;
haec eloquentiam rerum humanarum pulcherrimas
amplectitur, haec poetarum libros rementem quam-
dam virtutis, et praecepta sapientiae, quo facilius
in animum influant, insatiabili rerum jucunda-
rum varietate condit. Haec, qui parva, haec, qui
inutilia ducit, prope indignus videtur esse nomine
humanitatis.

Nam si nulla humaniorum litterarum vis esset,
quam, ut recte, eleganter et suaviter dicendi facili-
tatem largirentur, tamen eas nobis, humanissimi
comilitones! hoc nomine amplectendas, diligendas
que putarem.

Haec enim natura universa, habent omnes egre-
giae artes, habent illeberalia officia, habet totus
humanae vitae cultus, ut, cum rerum necessitate et
utilitate insignis quaedam pulchritudo, aut saltem
honestas species et dignitas coniungatur.

Circumspiciamus omnem terram, ejusque partes,
omnium animalium, plantarum, metallorum, la-
pidum, conchiliorum denique genera enstremus:
nullum ita destitutum a natura et abjectum vi-
debimus, ut non convenientem aliquam speciem
ornatumque a communi illa matre acceperit. Nullus

2.
est corporis humani pars, quae praeter necessitatem vel
utilitatem non aliqua venustate evocet.

Necessitas dedit, ut aleremur, vestiremurque; ecce co-
mitem se praebuit venustas, et ea res omnes vel signu-
rum colorumque suavitate, vel odoris vaporisque
dulcedine sensibus nostris commendavit. Illud ip-
sum gramen, illae ipsae herbae, quas pedibus cal-
camus, quibus bestiae nutrimur, tam jucundum
aspectum habent, ut videre nobis videantur. Quam
tantam naturae, in rebus vilissimis — si, quae ejus
dona vilia vocare licet — exornandis incredibilem
diligentiam, nos, qui summam sapientiam esse dis-
cimus, naturam duce regi, in nobilissimis disci-
plinis non imitandum putabimus? Consideremus
opifices, quanto illi in illiberalibus opificiis exercen-
dis studio pulchritudinem reguntur. Vestes et om-
nes cultus partes propter necessitatem primum com-
paratae sunt, mox iam tantum elegantiae tribu-
tum est, ut ornatus causa repentae videantur.
Et nos in liberalissimis, quae animi excolendi or-
nandique causa repentae sunt, artibus mundi-
tiam, ornatumque negligemus?

Sed, si nihil nos isto suo bono humaniores litterae
movent, si nihil apud nos orationis pulchritudo,
nihil suavitas, nihil munditiae valent, tamen
utilitatis magnitudine, et ad eas magnificien-
das commoveri et ad amandas allici debemus.

Nam, si recte, quales sint litterae considerabimus,
eas et per se fructuosissimas et ad caeteras artes

ornandas uberrimas reperiemus.

Ut enim a Republica, cuius saluti promovendae bonum quemque civem enixe studere oportet, initium faciam magnam vim, magnamque momentum in litteris, ad eam conservandam bonisque amplexandam omnibus, positum esse, plura dicendo persequar. Cum enim Salus totius reipublicae, ad quam omnis referendus conatus, in singulorum civium salute sita, singulorum autem Salus in acquirenda excelsa virtute posita sit, et ad perfectam virtutem consequendam omnia faciant litterae: illud profecto convegitur, ut nisi in qua litterarum vigeat commercium, inter florentes respublicas nullo modo possit numerari.

Omnes aetatis nostrae partes, omnem publicorum munusculorum Seriem, omnes instituendae vitae rationes animo percurramus; nullam profecto earum reperiemus, quae non ita ope litterarum indigeat, ut, eas si quis sustulerit, aquam ignemque ipsum de mundo sustulisse videatur. Itaque e sinu piissimae matris, ubi via pedibus uti didicimus, ex amplexu volucitissimae patris, dum via ejus insignem nostri amorem agnovimus, inavidissimo cantu ad se alliciunt; allectis non tantum bene dicendi, sed et bene vivendi rationem commostrarant; incendunt in pectoribus nostris gloriae flammam, quantum sit virtutis splendor, quantum vitiorum turpitudo, edocent; ad hanc amplectendam, ad alterum fugiendum excitant.

Ubi vero imbecillam illam ineuntis aetatis temeritatem vigor roburque adolescentiae excepit, quae tandem alia res, aut animum praecclararum rerum studio accendere, aut efferentes sese cupiditates, quibus nostra aetas facile agitur, moderari, bonamque in partem flectere praeter litterarum tractationem potest?

Narrat ille clarissimus Romanorum Orator Tullius de Themistocle, cum adolescentem nocturno in publico ambulasse, quaerentibusque respondisse: Philiadis tropaeis se e somno excitari. Quanto nos acius incendi atque inflammari necesse est, qui quotidie non unius, sed innumerabilium praestantissimorum virorum tropaea, quae immortalis iis posuit gloria intuemur?

Ut non feratibus Orationis agitari videar, Auditores spectatissimi! vela contrahenda esse censeo. Nihil ergo porro de litterarum humaniorum dignitate, aut praestantia, nihil de necessitate eloquentiae in medium proferam; nemo enim iam nostrum erit, qui ignoret, quantum splendoris et gloriae, quantum praesidii ac virium cum privatis, tum publicis conferat litterarum studium et eloquentia. Omnes probe, Commilitones humanissimi! intelligitis ab illis venturi e fonte promanare non modo in cives et rempublicam, verum etiam — quod maximum est momenti — in religionem ipsam tot tantaque commoda — ut de iis — quod praecclare est.

Tullius de amicitia - asserendum putaverim, si
quis eas de medio tolleret, solem ipsum de caelo
instabili videretur.

Nec nos fugit, quantam Christianis injuriam fi-
eri, quantam pestem parari crediderint Sanctis-
simi Ecclesiae patres, cum Julianus cavisset lege,
ne christianae juventuti liceret Scriptorum eo-
rum, ex quibus haec litterae discuntur, interpretes
audire; noverat sane callidus ille imperator om-
nium humaniorum litterarum nudes, facile Chris-
ti sacra esse deserturos. Exinde igitur patet:
litterarum humaniorum studium Religioni Chris-
tianae et fulcrum firmissimum esse et ornamen-
tum.

Quare flos, opesque patriae nostrae, Commilitones
humanissimi! quoniam tantum ab his humani-
tatis studiis et utilitatis expectare potestis, et or-
namenti operare dedite vos, quaeso, huic doctrinae
amabiliorem in dies cognoscetis, ejusque studium
vobis et utile et jucundum et gloriosum reperi-
etis.

Quantum vero quisque vestrum in studio huma-
nitatis, per totius anni scholastici decursum
profecerit, ex voce Reverendissimi Archi Gym-
nasii Praeulii sine mora intelligetis. ~.



ksiaznica@kc-cieszyn.pl